

ARTICULUS II.

Unde proveniat quod homo non possit mereri alteri primam gratiam, nec sibi reparationem post lapsum?

I. Quoad primam partem articuli certum est, posse aliquem alteri mereri primam gratiam merito congrui, ad quod requiritur quod sit in gratia ille qui meretur, et dirigat ad alterum merita sua. Constat hoc ex ratione D. Thomæ in articulo sexto, quia: «Congruum est, inquit, ut Deus impleat voluntatem hominis in salvatione alterius, eo quod ipse homo implet voluntatem Dei.» Ubi insinuat jus meriti de congruo, scilicet jus amicabile, ut quia iste facit voluntatem alterius, alter faciat istius; hæc enim est lex amicitiae, quæ nec est lex justitiæ rigorosæ, nec pura liberalitas, quæ etiam potest fieri extraneo, sed est lex amicitiae. Insinuat etiam quod aliquis debeat esse in gratia, quia facit voluntatem Dei non quidem ut det condignitatem operi, sed ut constituat amicum, et fundet jus amicitiae. Denique significatur directio operantis ad alium, scilicet quia habet voluntatem salvationis alterius, et sic supponitur voluntas directa ad alterius salutem, non quia inde opera valorem habeant, sed conditionem, seu applicationem requisitam. Denique ex communi sensu Ecclesiæ constat Paulum conversum esse orationibus Stephani, et Moysen impetrasse a Deo veniam pro populo.

II. Quod vero dicit D. Thomas in eodem articulo sexto rationem meriti de congruo haberi in nostro opere quatenus procedit ex libero arbitrio, non excludit auxilia divina, et gratiam subjecti, sed excludit pactum, et ordinationem divinam quæ

ad meritum congrui non requiritur.

III. Difficultas ergo est, an possit homo mereri alteri primam gratiam de condigno. Et non loquimur de facto, quia cum meritum de condigno pro sanctificatione alterius pertineat ad influxum moralem capitis, et de facto solus Christus est caput Ecclesiæ quantum ad interiorum influxum gratiæ, ut docet D. Thomas et omnes theologi in p. quæst. VIII, articulo VI, constat nemini convenire meritum de condigno pro prima gratia alterius. Difficultas ergo procedit de potentia absoluta, an per solam gratiam habituales sine unione hypostatica possit aliquis de condigno mereri alteri primam gratiam. Et est ratio dubitandi, quia D. Thomas citato loco totam rationem capitis quoad interiorum influxum reducit ad hoc, quod humanitas Christi habet vim justificandi alios in quantum est conjuncta divinitati, ergo ubi deest illa conjunctio, deest virtus justificandi alios, atque adeo et meritum de condigno ad talem justificationem, quia per tale meritum datur virtus justificandi alios.

IV. Nihilominus D. Thomas in p. quæstione LXIV, articulo IV, aperte fatetur potuisse Christum communicare aliis tantum gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, quam tamen potestatem de facto eis non contulit, ubi dicit. Unde sit evidens argumentum: Christus Dominus potuit dare aliis talem gratiam, ut eorum meritum cooperaretur ad effectus sacramentorum, qui sunt gratia habitualis, et remissio peccatorum; sed non loquitur de merito congrui, ergo de merito condigni. Minor patet, quia meritum de congruo multis de facto communicatur, ut mereantur aliis primam gratiam, ut ex ipso D. Thoma ostendi-

mus. Sed in hac tertia parte loquitur de merito quod aliis non est communicatum; ergo non loquitur de merito congrui, sed de merito condigni. Unde in hoc articulo quinto ex eo negat S. Thomas nos non posse mereri aliis primam gratiam de condigno, quia per gratiam solum movemur ad perveniendum in vitam æternam, et ideo meritum de condigno ultra hanc motionem non se extendit, ergo non ex impossibilitate gratiæ, sed ex negatione ordinationis divinæ non convenit mereri aliis primam gratiam.

V. Ad rationem dubitandi respondetur, quod quando dicit D. Thomas humanitatem Christi habere vim justificandi, quia est conjuncta divinitati, assignat quidem causam quæ de facto est, non tamen negat etiam de potentia absoluta non potuisse ex sola gratia mereri aliis justificationem.

VI. Quoad secundam partem de merito reparationis post lapsum, negativa pars, scilicet non posse cadere sub meritum, est S. Thomæ articulo septimo, et theologorum, recteque a sancto doctore ostenditur, tum ex illo Ezech. XVIII: *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitias ejus quas fecerat non recordabuntur.* Ergo interposito peccato, evacuantur merita; sic repugnat mereri reparationem post lapsum merito efficaciter proveniente ad retributionem, quia per locum intrinsecum supponit impedimentum talis meriti futurum; tum etiam, quia omnino evacuat meritum quando tam in eo cui meretur, quam in eo qui meretur, ponitur impedimentum ad retributionem, hoc ponitur respectu reparationis post lapsum, quia supponitur lapsurus; ergo evacuat meritum. Ubi S. Thomas non intendit probare quod non datur meritum in eliciendo actum respicien-

tem reparationem post lapsum, sed quod caret efficacia in perveniendo ad præmium.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VII. Primo objicies: Nam desiderium resurgendi a peccato sub conditione, si quis cadat, est justum, et potest oratione postulari, juxta illud Psalm. LXX: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* ergo tali orationi correspondet aliquod præmium saltem de congruo: secundo, huic operi est promissa a Deo retributio etiam post lapsum, juxta illud Hebr. VI: *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius;* ubi Paulus loquitur ad illos, qui gratiam amiserant juxta sanctorum patrum expositionem: et tamen dicit Deum non oblivisci operum, quæ fecerant in gratia, ergo intuitu illorum dat gratiam. Et idem urgetur ex communi sententia, quia opera facta in gratia per peccatum quidem mortificantur, sed manent in acceptatione Dei, ut reddantur si quis a peccato convertatur: ergo similiter manet in acceptatione Dei opus quo quis desideravit reparationem post lapsum, et sic intuitu ejus dabitur talis reparatio. Tertio, potest alteri aliquis mereri primam gratiam, et probabile est quod etiam sibi per dispositiones ad illam merito congrui, et non obstat impedimentum peccati, tam in se, quam in altero, ergo ruit fundamentum D. Thomæ, scilicet ideo non mereri aliquem reparationem post lapsum, quia ponit impedimentum per peccatum, sed similiter peccator cui justus meretur primam gratiam, habet impedimentum peccati, et tamen meritum non evacuat, ergo nec in primo casu.

VIII. Ad primum respondetur, illud desiderium esse meritorium gloriæ, quia sanctum est, sed non reparationis post lapsum, quia dicit ordinem ad impedimentum suæ retributioni ponendum, scilicet ad ipsum lapsum: merita autem quæ simpliciter merentur gloriam non involvunt per se aliquem respectum ad impedimentum talis meriti, sed si illi supervenit, est omnino per accidens. In illis autem verbis psalmi non est sermo de reparatione post lapsum, sed de auxilio dando pro infirmitate virtutis ne tentationibus succumbat.

IX. Ad secundum dicitur, illis verbis Pauli non intelligi promissionem factam bonis operibus ad reparationem post lapsum, vel quia non loquitur Paulus de illis qui a gratia exciderunt, sed solum qui erant imperfecti, et tepidi, ut plures sentiunt, vel dato quod loquatur de illis qui a gratia exciderunt, solum probat argumentum quod Deus non obliviscitur operum factorum in gratia, sed manent in acceptatione divina, non quidem ut mereantur reparationem, sed ut reviviscant, et reddantur si a peccato resurgat.

X. Ex quo patet solutio ad Tridentinum, quod merita manent quidem in acceptatione divina (ut explicatum est) non tamen merentur ipsam reparationem a peccato. Et similiter si quis desiderat reparationem post lapsum, quod desiderium est sanctum, et ideo meretur gloriam, manebit quidem in acceptatione Dei ut reddatur istud præmium si a peccato resurgat, non tamen ut ipsa reparatio reddatur tamquam præmium, quia ad hoc supponitur ipsum subjectum impeditum per peccatum, ne sibi talis reparatio per modum præmii detur: nec enim ad merita mortificata spectat, ut ipsa mortificatio tollatur, sed ut præmia reddantur, si mortifica-

tio tollatur. Non tamen dubitamus aliquando opera præcedentia in gratia facta respici a Deo tamquam occasio, et motivum ut misereatur lapsus in peccatum, non tamen tamquam jus debitum sive amicabile et congruum, sive condignum et de justitia propter impedimentum subjecti, qua ratione sæpius in Scriptura Deus dicitur suspendere punitionem, vel præstare misericordiam propter bona opera alicujus, ut de Josaphat II, Paralip. XIX, et de aliis Apocalyp. II et III. Legatur Suarez tomo III de gratia, libro XII, cap. XXXVIII.

XI. Ad ultimum dicitur quod peccator cui justus meretur reparationem, licet in se sit indignus gratia, non tamen reddit indignum ipsum merentem, neque ejus meritum interrumpit, at vero qui sibi mereretur reparationem post lapsum redderet se ipsum indignum peccando, etiam in quantum est merens, quia interrumpit, et consequenter evacuat efficaciam meriti, quod non fit in eo qui existens in gratia meretur alteri reparationem.

ARTICULUS III.

Utrum donum perseverantiæ in hac vita possit cadere sub merito?

I. Loquimur de dono perseverantiæ, non de ipsa virtute perseverantiæ, quæ est habitus; hæc enim simul infunditur cum reliquis habitibus quando datur gratia, nec est aliud quam quædam virtus contenta sub fortitudine, quæ firmat actum ad tolerantiam usque ad finem. De qua agit S. Thomas secunda secundæ, quæst. CXXXVII, articulo primo ad quartum. Donum ergo perseverantiæ pertinet ad continuationem auxiliorum, quæ dantur ad perseverandum post justificationem, quæ

quidem incipiunt quando quis incipit operari post justificationem, et consummantur in fine vitæ, ibi enim est donum perseverantiæ consummative. Loquimur etiam de perseverantia hujus vitæ, quia perseverantia gratiæ consummata, seu gloriæ non est dubium quod cadit sub merito, ut docet S. Thomas hic articulo nono, quia hoc ipso quod vita æterna cadit sub merito, cadit etiam ipsa continuatio, seu perseverantia. Igitur sententia D. Thomæ in hoc articulo nono quam communiter theologi sequuntur, docet donum perseverantiæ sumptum pro auxilio ad perseverandum, præsertim consummative usque ad finem, non cadere sub merito de condigno: an vero possit cadere sub merito congrui, aliquis dissensio est. Ratio primi sumitur a S. Thomæ, quia principium meriti non potest cadere sub merito; sed auxilium, et motio divina, qua aliquis movetur a Deo, ut non succumbat tentationibus, nec gratiam interrumpat per peccatum, tenet se ex parte principii meriti, quia auxilium et motio divina est principium operandi, et in hoc solum consistit quod moveat ad opus; igitur non potest cadere sub merito.

II. Cæterum hæc ratio nimis videtur probare, aut non assignat sufficientem rationem: nam de absoluta potentia non repugnat auxilia divina cadere sub merito; nam Christus Dominus nobis illa meruit de condigno, et ipsam perseverantiam; ergo etiam homo justus si acciperet a Deo ordinationem, ut mereretur alia auxilia, posset illa aliis mereri de condigno, sicut meruit Christus: non enim ad merendum aliis auxilia requiritur gratia unionis hypostaticæ, sicut neque ad merendum gratiam sanctificationis diximus præcedenti articulo: si autem potest aliquis mereri alteri perseve-

rantiam, cur non poterit mereri sibi, si similem gratiam recipiat a Deo, et ordinationem ad merendum talia auxilia? Ideo pater Lorca ad hoc reducit impossibilitatem merendi perseverantiam, quia Deus non ordinat gratiam ad id merendum, neque fecit nobiscum pactum, ut daretur perseverantia in præmium, et mercedem nostrorum actuum, alias omnis qui faceret actum meritorium non posset carere perseverantia, et non salvari. Nec S. Thomas amplius requirit in articulo, cujus verba nihil significant de possibili, sed de facto.

III. Cæterum qui velit interpretari D. Thomam in sensu rigoroso, quod non possit ullo modo perseverantia cadere sub merito, potest dicere quod auxilia divina respectu ipsiusmet operantis non possunt cadere sub merito duplici ratione. Primo, quia auxilium dicit intrinsecum ordinem ad operationem, ad quod solum datur, et propter quod datur, non propter se ipsum. Unde in tantum potest cadere sub merito, in quantum ipsum opus sub merito cadit, quia auxilium sine opere ad nihilum valet: nullus autem potest mereri proprium opus, quia cum debeat voluntarie procedere a se ipso, ipse sibi retribuere præmium. Unde solum poterit alteri mereri auxilium, sicut Christus Dominus meruit nobis, quia et ipsummet opus cadit sub tale meritum, et tunc negandum est quod etiam de congruo non potest aliquis sibi mereri perseverantiam, et auxilia, quod probabile est in sententia S. Thomæ ut statim dicemus.

IV. Secundo, speciali ratione, non possumus mereri auxilia ad perseverandum, quia talis perseverantia, et talia auxilia intrinsece ordinantur ad conservandam gratiam; conservatio autem est continuatio primæ productionis, et entitative ipsa-

met productio, unde qui mereretur auxilia continuativa gratiæ, seu perseverantiam, consequenter mereretur ipsam continuationem principii meriti, quod est gratia secundum quod se tenet ex parte Dei moventis ad conservandum. Unde solum qui potest alteri mereri gratiam sanctificantem, potest ejus continuationem, et perseverantiam mereri, sicut Christus Dominus meruit nobis, et ita Cajetanus in commentario articuli quarti ad hoc reducit rationem S. Thomæ, quod probat non posse sub meritum cadere motionem divinam, non quancumque, sed quatenus est conservativa gratiæ, quæ est principium meriti: alias enim non repugnat quod motio divina cadat sub meritum, non quidem respectu actus ad quem movet, id enim implicat, sed quod unus actus mereatur motionem divinam ad alium actum.

V. An vero S. Thomas neget meritum de congruo respectu perseverantiæ, dissensio est inter auctores, et videri potest pater Suarez libro XII de gratia, capite xxxviii, et Montesinos in articulo nono. Breviter dico quod perseverantia potest sumi vel pro tota serie auxiliorum post justificationem usque ad ultimum, et sic nec sub meritum condigni, nec congrui potest cadere, quia in ista serie includitur ipsum auxilium quo primum meritum incipit, et hoc clarum est quod non potest cadere sub meritum. Vel sumitur pro aliis actibus præter primum, quibus in progressu quis perseverat, vel etiam pro ultimo quo consummatur perseverantia, et etiam pro extrinseca Dei protectione tollente impedimentum, et sic docet S. Thomas in solutione ad primum. Quod potest aliquis impetrare illam perseverantiam per orationem, sed non mereri, quod saltem debet intelligi de condigno, non tamen oportet

quod intelligatur de merito congrui, quia impetratio existens in gratia infunditur in jure amicitiae.

VI. Vel secundo potest intelligi quod non meretur de congruo infallibiliter, quia oratio non impetrat, et meretur infallibiliter nisi sit perseverans: ut docet S. Thomas et communiter theologi secunda secundæ, quæst. LXXXIII, articulo xv. Ergo cum ipsa perseverantia orationis sit una ex conditionibus requisitis ad meritum infallibile, clarum est quod non potest perseverantia sub tale meritum infallibile cadere, cum constituat ipsum. Merito autem de congruo non infallibili potest quis mereri perseverantiam, quia hoc non est aliud quam ipsamet impetratio relicta liberalitati Dei, sicut impetrant peccatores, et ad infallibilitatem meriti de congruo requiritur promissio Dei, non pactum per modum contractus, quod respicit valorem et pretium, pertinetque ad meritum de condigno.

VII. Denique potest dici, quod licet totalis perseverantia non possit cadere sub meritum orationis, quia illa ad orationem requiritur, inadæquata tamen et partialis perseverantia potest dari infallibiliter merito congrui, verbi gratia, si quis orando mereatur auxilium ad unum actum ad quod habuit sufficientem perseverantiam, et per aliam orationem aliud auxilium ad alium actum, et sic de aliis, tunc quælibet oratio habebit suam perseverantiam inadæquatam. Unde integra perseverantia, quæ constat ex omnibus auxiliis et actibus non cadit sub uno merito, sed sub multa merita, quod non videtur repugnare, nec negari a S. Thoma. Semper tamen supponitur auxilium ad primam orationem perseverantem, datum gratuito.

VIII. In articulo octavo tractat S. Thomas de augmento gratiæ, quomodo cadat sub meritum. Et quod possit sub meritum cadere nulla est difficultas inter theologos, et optime probatur a D. Thoma, et determinatur in Concilio Tridentino sessione VI, in multis locis, est tamen maxima difficultas quando reddatur hoc

augmentum, an pro singulis actibus quantumcumque remissis; an vero quando prorumpit homo in actum ferventiorum, vel in alia vita. De his tamen latissime disputavimus in materia de charitate, ubi est proprius hujus quæstionis locus: ibi videri potest.